SL

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

'S RYKS ARCHIEF

Quisquis silendo amori convitium facit, Doct.mo Hugens, nae illi
sodalitatis iura non rite peragi solent. quippe affectus indicia
linguae ministerio experenda veniunt, quando eorum ~~…~~ commer-
cijs aditus intercelusi haerent. Te vero hactenus in Principis co-
mitatu praerupti accessus largi oneris spartha esse iubet, locorum
dirempta familiaria obsequia turbare solitum. Sed qui Amstero-
dami confarreandis nuptijs operam impendis, quamvis salutandi oc-
casionem nobis largiris. Accurro autem pedum apice vestigia
adulterante, quando sacris tuis turbo intercedere verecundor. et
sero quidem fores tuas sollicitans, inter eos collocari debeo, qui
heterogenea alienis negotijs miscere negant. Hilaria enim tibi
largo nuptiarum apparatu fluunt, quibus chartaceas offucias
intempere in Musica luctus esset. Auspice vero in salutares voces
sortilegia aperio, ut cum omnes gratulando lasciviunt, ego solus
humanitatis iura ignorare credar. Capt ergo Thalassio illud
felix, et Pronubam desiderijs tuis annuentem; velut Lucinam
quoque dextram tibi precor, ne sterile arvum vomere tuo molli-
re dicaris. Pater autem fausto puerperio nuncuperis, sed ut in
faetu liniamenta avita ludant; te praecipue exprimentia in quo
Prometheus quaevis naturae dona effinxit. Sed omni voto afflu-
ens, cave Gruteri nesciant omnes sociali thalamo igniculos im-
pendas. Comparem enim amoris tantum sociam esse volo, ut so-
dalitati portionem aequam conservet. Me vero ita ama, uti eos so-
les quos fortuna tanquam deberras esse iubet. Multum in ma-
nu tua roboris est, ut prostratos attollere possis, si Polydaeda-
lum mentis usum explicare tibi libeat. et cur neges opitulan-
tis energia nobis prodesse? quando Musae in nobis tenuem gurgu-
stiolum nactae sunt, ipsae spatio exiguo provectae. familia denique
aucto dimenso luxuriant, Critonis industriam exorare posse
videtur

53

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/292a

videtur; si Civicam coronam aeterno trophaeo nasci non ignoras.
Sed ubi virtutibus tuis materiam stratam invenies? apud Principes
et nobilis satellitii coronam, ubi multis fortunae minas evadere
licuit. Neque ficulni ligni instar admissiones aulicas ambio,
qui linguarum adminiculis per Iulos quosvis aperire audeo. Italica
enim Hispanica, Gallica, Alemannica intra domestica sacra
locum invenerunt; quibus Latinae et Graecae linguae maiestas nu-
meros complere solet. Historiae denique et amoena literarum
immemorabilem me esse negant; quae Medicinam tractanti hono-
rem duplicare solent. Musicam quoque et varii ligni cantus in
auctuarium admitto; sed non in eam excellentiam, qua tu Polyhym-
niam ornare soles. Ne Arithmeticae recensione Mercurio
pessum obire videar, clausulam gratulationi impono quam tu
in pia mente fuci expertem excusare digneris; ita tibi taedae
iugales ad urnae usque cupressum prosperi honoris fluant.
Vale Doct.me Hugens. In Musaeo. XV Cal. May
CIↃ.IↃ.CXVij

Aliena manu, mea diu occupata
Hoc tantum subscripsi Tuus
Petrus Gruterus Med.nae D.r

Ick woone tegenwoordich inde Angelier straet, naest
de vergulde gecroonde swaen etc.
Te meye sal ick woonen opde Angeliers gracht, naest
het huys vande den Engelbrecht Verhaeut

55

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/292a

P. Scriverius

Clarissimo Doctissimoque Viro
Constantino Hugenio
Principi A Secretis etc.

Amsteld. 21
Apr. 27.

Filii mei manu

© Universiteitsbibliotheek Leiden
BPL 2212
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/292a